



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Specvlvm Ivventvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve
Adolescentiae Sanctorvm**

Bosendorf, Hermann

Monasterii VVestphalorvm, 1615

Archippus 29. Septemb.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42900

E X E M P L V M B. A R C H I P P I Q V O D H A-
betur in narratione miraculi facti in regione Chanen-
si à B. Michaële Archangelo, apud Metaph.
s. Sept. apud Sur. 29. Sept.

*Canem
edimat.*

*Vita aspe-
ritas.*

Archippus puer hieropolitanus, cum pij seminis & verè bonæ radicis esset bonum germen, tāquam quoddam lilyum in medio h̄eresum spirans pietatis suavitatem decimo anno ætatis venit ad ædem D. Michaelis, vt qui à diuina duceretur prouidētia: factusq; eius templi ædituus diuina gratia inuentus est dignus. Carnis enim voluptatem tam pulchrè superauit, & tam pulchra fuerunt eius vitæ procœmia, vt neq; pane vesceretur, neque aliquo eorū quibus homines necessario vescuntur. Non vtebatur balneis, neq; corporis sui vllam curam gerebat: sed semper spirituali viuendi rationi vacabat, idq; cum esset puer & necdū perfectiorem attigisset ætatem. Quod quidem pene esset incredibile, nisi magnitudo virtutis & spectaculorum, quibus dignus est habitus, isthōc redderent probabile. Nam herbas quidem coquens comedebat, easq; a grettes, & quæ ne tantillo quidem salis aspergæ erant. Id vero cibi genus semel quot hebdomadis capiebat. Indumentum autem erant duo facci, vnuſ quidem pro tegumento corporis, alter vero pro stragulo, quos per vices annorum commutabat, stragulo eum destitans, quo per annum fuerat antè amictus. Et si quan-

quando eum necessarius somnus opprimet, cubili acutis lapidibus strato, suppositisq; capiti sentibus facco obductis vtebatur. Ad hanc vero laboriosam asperamque vitam incessanter tuendam hisce semet vocibus excitabat: Ne bona huius vitæ oculos meos irretiant, neue mens præsentि implicitetur vanitati, imple Domine oculos meos lachrymis spiritualibus. Contere cor meum & dirige gressus meos. Quid enim mihi prodest hoc corpus è luto factum, quod nunc quidem est, paulo post occidet: quod manè velut herba florescit, at vespera flacessit. Liceat mihi vni bono animæ adharere; quod mihi omnino conciliabit eam, quæ illic est, beatitudinem.

EXEMPLVM B. RIPSIMES VIRGINIS
& martyris, habetur apud Simeonem Metaphrasten.
30. Septemb. in vita S. Gregorij martyris
magna Armenia.

DIOCLETIANO Imperatori nuptias cogitantibeatæ Ripsimes monialis perelegans & celebris forma innotuit, eiusq; sibi oblata imagine vehementiori amore succensus, apparabat thalamos, & missis ad Ripsimem adulatoribus, hortabatur præparatis interesse nuptijs. At illa nihil alienum pudicitia cogitauit, quæ iam olim cohabitantem elegerat continentiam, & solis victitans leguminibus noctu atq; interdiu orationi diuinisq; laudibus vacabat. Sed potius: Non te fallam, inquit, sponsæ Christi,

Dd ite,